



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Compendivm Summæ Card. Toleti

Minucius, Genesisius

Sammieli, 1613

De dispositione post celebrationem cap. 3.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41701

De dispositione post consecrationem. Cap. 3.

Post celebrationē etiam plura desiderantur notata digna, quæ hoc versu continentur. Sacrifica vna luce semel, nisi causa requirat.

Quamuis nonnulli doctores sacerdoti permittant sine culpa per totam vitam non celebrare, ego tamen verius arbitror, quod non legitime impeditus, ter, at quater in anno festis solemnibus celebrare teneatur, vti docet Sanctus Thom. 3. 82. 10. Siquidem, & non celebrans suspenditur, capi. dolentes, de celebratione missæ. Curatus verò tenetur celebrare iis diebus quibus populus obligatur ad sacrum audiendum, sed nemo tenetur quotidie celebrare ne quidem ratione Capellæ, nisi id possit salua reuerentia & honestate.

* Vna

*Vna luce semel, id est, vna die semel celebrandum vni, pluries enim celebrare vna & eadem die non licet, nisi his quinque casibus. *Primo in Natali Domini, ad quod tamen nemo obligatur, sicut neque ad audienda plura sacra eodem die. Secundò, si propter tenuissimum redditum, quis habeat duas parochias, & die festo in vtraque sit celebrandum. *Tertiò, Quando in festo ex præcepto sanctificando, post missam peregrinè adueniunt. *Quartò. Si post missam superveniat Episcopus, nec adsit alius Sacerdos. *Quintò. Si pro infirmo communicando deficiat sacramentum.

Quid sit Missa. Cap. 4.

MISSA hebræorū idiomate dicitur Missach, Latine Oblatio, vnde in Psal. 140 Vbi vulgata nostra latina editio